

# VARRO DE LINGUA LATINA 5.48: SUCCUSAM

Scripsit Konrad Kokoszkiewicz

*Universytet Warszawski*

In Varronis de lingua Latina libro quinto, ubi disserit de locis in urbe Roma eorumque uocabulorum originibus, scriptum sic est (Var. L. 5.48)<sup>1</sup>:

*Subura<ṃ> Iunius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe; cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus uocatur. Sed <ego a> pago potius Succusano dictam puto, †succusam† nunc scribitur tertia littera C, non B. Pagus Succusanus, quod succurrit Carinis.*

Quam hic Varro narret fabulam, e Festo et Quintiliano notum est. Hic Institutionis oratoriae primo (Quint. Inst. I 7.29)<sup>2</sup>: *Subura*, inquit, *cum tribus litteris notatur, C tertiam ostendit*. Ille (Fest. 309L)<sup>3</sup>: *Suburam*, inquit, *Verrius alio libro a pago Succusano dictam ait. Hoc uero maxime probat eorum auctoritatem, qui aiunt ita appellatam et regionem Vrbis et tribum a statuio praesidio, quod solitum sit succurrere Esquilis infestantibus eam partem Vrbis Gabinis. Indicioque esse, quod adhuc ea tribus per C litteram, non B scribatur.*

Cum ergo Subura (uel, ut Festus uult, tribus Suburana) ita scripta significatur, ut litterae non plures fiant quam tres, „SVC” scribunt, quamquam „SVB” exspectaueris. Quare cognita iam licet Varronis sanare uerba, quem sic scripsisse censeo:

(...) *Sed <ego a> pago potius Succusano dictam puto, SVC etiam nunc scribitur tertia littera C, non B. (...)*

ubi „SVC” illa trium litterarum nota, quam narrat Quintilianus, ex illo autem *etiam nunc id adhuc partum censeo*, quod apud Festum uidemus; cum nemini sit dubium, quin Varronem consultauerit aut ipse aut, quod probabilius uidetur, Verrius Flaccus.

Cum liber manu scriptus, ex quo codex Florentinus manauit, procul dubio minusculis scriptus esset, librarius, qui uerbi „suc” nescius, „sucetiam” pro uno uerbo accepit, „c” pro „e” et „u” pro „ti”, quod interdum fit, legisse uidetur, e quo „succuam” sibi ortum ut „succusam” scripsit uerbo *Succusanus* bis ibi occurrente nixus.

Uniwersytet Warszawski  
 Instytut Filologii Klasycznej  
 ul. Krakowskie Przedmieście 1  
 PL-00-927 Warszawa  
 POLAND  
 draco@ibi.uw.edu.pl

<sup>1</sup> *Terenti Varronis de lingua Latina quae supersunt*, edd. G. Goetz et F. Schoell, Lipsiae 1910.

<sup>2</sup> *Fabi Quintiliani institutionis oratoriae libri XII*, ed. Ludwig Radermacher, Lipsiae 1971.

<sup>3</sup> *Pompei Festi de uerborum significatu quae supersunt*, cum Pauli epitome, ed. W. M. Lindsay, Lipsiae 1913.